

# CLASSICS PART IB

## EASTER TRANSLATIONS

*contains:*

**Seneca x 3**

**Caesar x 3**

**Horace x 1**

**Sallust x 1**

Level: average

**Andromache makes a piteous choice between permitting the defilement of Hector's ashes or allowing her son, Astynax, to be killed.**

quid agimus? animum distrahit geminus timor:  
hinc natus, illinc coniugis cari cinis.  
pars utra vincet? testor immites deos,  
deosque veros coniugis manes mei:  
non aliud, Hector, in meo nato mihi  
placere quam te. vivat, ut possit tuos  
referre vultus – prorutus tumulo cinis  
mergetur? ossa fluctibus spargi sinam  
disiecta vastis? potius hic mortem oppetat –  
poteris nefandae deditum mater neci  
videre, poteris celsa per fastigia  
missum rotari? potero, perpetiar, feram,  
dum non meus post fata victoris manu  
iactetur Hector – hic suam poenam potest  
sentire, at illum fata iam in tuto locant.  
quid fluctuaris? statue, quem poenae extrahas.  
ingrata, dubitas? Hector est illinc tuus –  
erras, utrumque est Hector: hic sensus potens,  
forsan futurus ultior extincti patris –  
utrique parci non potest: quidnam facis?  
serva e duobus, anime, quam Danai timent.

(Seneca, *Troades*)

Level: easy

### **Andromache bids a final farewell to Astynax.**

Quid meos retines sinus  
manusque matris, cassa praesidia, occupas?  
fremitu leonis qualis audito tener  
timidum iuvencus applicat matri latus,  
at ille saevus matre summota leo  
praedam minorem morsibus vastis premens  
frangit vehitque: talis e nostro sinu  
te rapiet hostis. oscula et fletus, puer,  
lacerosque crines excipe et plenus mei  
occurre patri. pauca maternae tamen  
perfer querelae verba: “si manes habent  
curas priores nec perit flammis amor,  
servire Graio pateris Andromachen viro,  
crudelis Hector? lentus et segnis iaces?  
redit Achilles.” sume nunc iterum comas  
et sume lacrimas (quidquid e misero viri  
funere relictum est), sume quae reddas tuo  
oscula parenti. matris hanc solacio  
relinque vestem: tumulus hanc tetigit meus  
manesque cari. si quid hic cineris latet,  
scrutabor ore.

(**Seneca, Troades**)

#### **Vocabulary**

scrutor

I discover

Level: hard

### **Seneca discusses the fleeting nature of life.**

maior pars mortalium, Pauline, de naturae malignitate conqueritur, quod in exiguum aeui gignimur, quod haec tam uelociter, tam rapide dati nobis temporis spatia decurrant, adeo ut exceptis admodum paucis ceteros in ipso uitae apparatu uita destituat. nec huic publico, ut opinantur, malo turba tantum et imprudens uulgus ingemuit; clarorum quoque uirorum hic affectus querellas euocauit. inde illa maximi medicorum exclamatio est: "uitam breuem esse, longam artem". inde Aristotelis cum rerum natura exigentis minime conueniens sapienti uiro lis: "aetatis illam animalibus tantum indulsisse, ut quina aut dena saecula educerent, homini in tam multa ac magna genito tanto citeriorem terminum stare."

non exiguum temporis habemus, sed multum perdidimus. satis longa uita et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur; sed ubi per luxum ac neglegentiam diffliuit, ubi nulli bonae rei impenditur, ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus transisse sentimus. ita est: non accipimus breuem uitam sed fecimus, nec inopes eius sed prodigi sumus. sicut amplae et regiae opes, ubi ad malum dominum peruererunt, momento dissipantur, at quamuis modicae, si bono custodi traditae sunt, usu crescunt: ita aetas nostra bene disponenti multum patet.

(Seneca)

Level: easy

**Caesar, after conquering Gaul, prepares his first invasion of Britain in late summer 55 BC.**

exigua parte aestatis reliqua Caesar, etsi in his locis, quod omnis Gallia ad septentriones vergit, maturae sunt hiemes, tamen in Britanniam proficisci contendit, quod omnibus fere Gallicis bellis hostibus nostris inde subministrata auxilia intellegebat, et si tempus anni ad bellum gerendum deficeret, tamen magno sibi usui fore arbitrabatur, si modo insulam adiisset, genus hominum perspexisset, loca, portus, aditus cognovisset; quae omnia fere Gallis erant incognita. neque enim temere praeter mercatores illo adit quisquam, neque his ipsis quicquam praeter oram maritimam atque eas regiones quae sunt contra Galliam notum est. itaque vocatis ad se undique mercatoribus, neque quanta esset insulae magnitudo neque quae aut quantae nationes incolerent, neque quem usum belli haberent aut quibus institutis uterentur, neque qui essent ad maiorem navium multitudinem idonei portus reperire poterat.

ad haec cognoscenda, prius quam periculum faceret, idoneum esse arbitratus C. Volusenum cum navi longa praemittit. huic mandat ut exploratis omnibus rebus ad se quam primum revertatur. ipse cum omnibus copiis in Morinos proficiscitur, quod inde erat brevissimus in Britanniam traiectus. huc naves undique ex finitimis regionibus et quam superiore aestate ad Veneticum bellum fecerat classem iubet convenire.

(**Caesar, de bello Gallico**)

**Vocabulary**

septentriones, -um 3m pl.

north

Morini, -orum 2m pl.

Morini (people of Belgic Gaul, near the Channel)

Veneticus, -a, -um

of the Venetii (people of north-west Gaul)

Level: easy

### **Caesar describes the difficult conditions of the landing in Britain.**

atque nostris militibus cunctantibus, maxime propter altitudinem maris, qui X legionis aquilam gerebat, obtestatus deos, ut ea res legioni feliciter eveniret, 'desilite', inquit, 'milites, nisi vultis aquilam hostibus prodere; ego certe meum rei publicae atque imperatori officium praestitero.' hoc cum voce magna dixisset, se ex navi proiecit atque in hostes aquilam ferre coepit. tum nostri cohortati inter se, ne tantum dedecus admitteretur, universi ex navi desiluerunt. hos item ex proximis primi navibus cum conspexissent, subsecuti hostibus adpropinquaverunt.

pugnatum est ab utrisque acriter. nostri tamen, quod neque ordines servare neque firmiter insistere neque signa subsequi poterant atque alius alia ex navi quibuscumque signis occurrerat se adgregabat, magnopere perturbabantur; hostes vero, notis omnibus vadii, ubi ex litore aliquos singulares ex navi egredientes conspexerant, incitatis equis impeditos adoriebantur, plures paucos circumsistebant, alii ab latere aperto in universos tela coiciebant. quod cum animadvertisset Caesar, scaphas longarum navium, item speculatoria navigia militibus compleri iussit, et quos laborantes conspexerat, his subsidia submittebat. nostri, simul in arido constiterunt, suis omnibus consecutis, in hostes impetum fecerunt atque eos in fugam dederunt; neque longius prosequi potuerunt, quod equites cursum tenere atque insulam capere non potuerant. hoc unum ad pristinam fortunam Caesari defuit.

**(Caesar, *de bello Gallico*)**

Level: average

**Pompey gathers support and the senate reacts to the threat to the Roman republic that Caesar has created.**

misso ad vesperum senatu omnes, qui sunt eius ordinis, a Pompeio evocantur. laudat promptos Pompeius atque in posterum confirmat, segniores castigat atque incitat. multi undique ex veteribus Pompei exercitibus spe praemiorum atque ordinum evocantur, multi ex duabus legionibus, quae sunt traditae a Caesare, arcessuntur. completur urbs et ipsum comitium tribunis, centurionibus, evocatis. omnes amici consulum, necessarii Pompei atque eorum, qui veteres inimicitias cum Caesare gerebant, in senatum coguntur; quorum vocibus et concursu terrentur infirmiores, dubii confirmantur, plerisque vero libere decernendi potestas eripitur. pollicetur L. Piso censor sese iturum ad Caesarem, item L. Roscius praetor, qui de his rebus eum doceant: sex dies ad eam rem conficiendam spatii postulant. dicuntur etiam ab nonnullis sententiae, ut legati ad Caesarem mittantur, qui voluntatem senatus ei proponant. omnibus his resistitur, omnibusque oratio consulis, Scipionis, Catonis opponitur. Catonem veteres inimicitiae Caesaris incitant et dolor repulsae.

(Caesar, *de bello civili*)

Level: hard

**Death is inevitable.**

eheu fugaces, Postume, Postume,  
labuntur anni nec pietas moram  
rugis et instanti senectae  
adferet indomitaeque morti,

non, si trecenis quotquot eunt dies,  
amice, places inlacrimabilem  
Plutona tauris, qui ter amplum  
Geryonen Tityonque tristi

compescit unda, scilicet omnibus  
quicumque terrae munere uescimur  
enauiganda, siue reges  
siue inopes erimus coloni.

frustra cruento Marte carebimus  
fractisque rauci fluctibus Hadriae,  
frustra per autumnos nocentem  
corporibus metuemus Austrum:

uisendus ater flumine languido  
Cocytos errans et Danai genus  
infame damnatusque longi  
Sisyphus Aeolides laboris.

linquenda tellus et domus et placens  
uxor, neque harum quas colis arborum  
te praeter inuisas cupressos  
ulla breuem dominum sequetur;

absumet heres Caecuba dignior  
seruata centum clauibus et mero  
tinguet pauimentum superbo,  
pontificum potiore cenis.

(Horace)

**Vocabulary**

Hadria, -ae

the Adriatic

Auster, -ri

the South Wind (associated with malaria, which was rife in Autumn)

Caecuba, -ae

Caecuban wine

[Sallust passage to be added here]